

desierit senex omnibus angulis bellum quaerere. Adeo sine patria esse pati poterat, sine hoste non poterat. Quanto satius, quid faciendum sit, quam quid factum quaerere, ac docere eos, qui sua permisere Fortunae, nihil stabile ab illa datum esse, ejus omnia fluere aura mobilius? nescit enim quiescere, gaudet laetis tristia sustinere, et utraque miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat: alternae sunt vices rerum. Quid exsultas? Ista quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint: habebunt suum, non tuum finem. Quid jaces? ad imum delatus es: nunc est resurgendi locus. In melius adversa, in deterius optata flectuntur. Ita concipienda est animo varietas, non privatarum tantum domuum, quas levis casus impellit, sed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta supra imperantes constituerunt. Vetera imperia in ipso flore cecidere. Iniri non potest numerus, quam multa ab aliis fracta sint: nunc cum maxime Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habitura reliquias jactat. Magna ista, quia parvi sumus, credimus. Multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra, magnitudo est. Quid praecipuum in rebus humanis est? Non classibus maria com- plesse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficiente terra ad injurias aliorum errasse in Oceano, ignota quae- rentem: sed animo omne vidisse, et qua nulla est major victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuere in potestate: paucissimi, qui se. Quid est praecipuum? Erigere animum supra minas et promissa for- tunae. Nihil dignum putare, quod speres. Quid enim habet dignum, quod concupiscas? qui a divinorum conversatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quo- rum oculi in densam umbram ex claro sole rediere. Quid est praecipuum? Posse laeto animo adversa tolerare: quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei fieri. Flere,